

controversia, ad alia progredi animus erat. Verum quoniam non incuriosa quaestio hæc est, quæque non parum lucis afferet vaticinio Jacobæo, unde invictum adeo contra Iudæos momentum delibavimus: idcirco in ea quoque petra-standa industria nostram, ac diligentiam exercendam iudicavimus. Erit itaque sequentis Exercitationis Argumentum.

EXERCITATIO XVI.

De Iudæ scepro: Privata ne Tribus fuerit, an totius Iudæicæ gentis?

I. **P**ost Iudæos celeberrimo Iacobi morientis Oraculo repressos diu, ac debellatos, cum nonnullis Christiani nominis Professoribus congregiendum nobis est: qui tamen, & impletum Oraculum, & ablatum dudum Iudæ sceprum probe noverint; quid tamen Iudæ nomine significatum voluerit Patriarcha Sanctissimus, non omnino inter sese consentiunt. Sunt etenim, qui totam promissæ Iudæicam gentem designari volunt, suprema auctoritate potituram, donec demissus Cælo Messias Mundo illucesceret: alii peculiarem Iudæ Tribum notatam existimant, tamquam unicum supremam inter Iudæos potestatis hæredem, ad tempus usque Christi Domini regnaturam. Quin & hoc ipso secundo in ordine non desunt, qui peculiarem Iudæ Tribum, non homines ipsos a Iudæa prognatos intelligant, quos ad Christum usque regnatos dixerit Patriarcha Sanctissimus; sed Iudæa fortem, seu possessionem, ac regionem, quæ in terræ promissæ partitione Iudæ Tribui obventura erat: ut nimirum pronuntiati vaticinii sensus sit: non ablatum iri Sceprum de Iudæa, hoc est, Regni sedem futuram in Tribu Iudæa, seu in forte Tribus Iudæ, Ierosolymis scilicet, nec inde auferendam (quicumque tandem ibi principatum obtineant) donec Christus adveniat.

II. Quam procul a vero aberraverint, qui postremam illam explicandi vaticinii viam aperuerunt, multis evincere non est opus. Patet res ipsa per sese. Duo quippe conjungit vaticinium Iacobæum: non auferendum sceprum de Iudæa, & Ducem de femore Iudæ non desuturum, donec Christus adveniat. Si ergo Iudæ nomine peculiarem Iudæ Tribum Iacob voluit intelligi, ut illi quidem autumant; non sceprum itaque in ejus dumtaxat forte duraturum portendit, a quibuslibet obtinendum, sed sceprum potius a solis Iudæ posteris, ex ejus scilicet femore orituris, ad Christi usque tempora possidendum. Huc illud adde: acceptam eo sensu primam illam Iacobæi vaticinii partem falsissimam fore. Nec enim toto Iudicum principatu, qui annos obtinuit trecentos sexaginta quinque; nec Saulis ætate, qui per annos quadraginta regnavit super Israël, Regni sedes in forte Tribus Iudæa semper fuit, multo minus Ierosolymis substitit. Sed neque quo ex tempore in forte Iudæa, ac Ierosolymis constituta est Regni sedes, ibidem ad Christum usque perennavit, quæ per annos septuaginta fuit in Babilone, regnantibus illic Ioachimo, & Sedecia. Nec omitteandum, impletum non iri ea in hypothese Sacram Oraculum, dum ad Herodem translatum est sceprum: Cum & tunc quoque in forte Tribus Iudæa, ac Ierosolymis perennaret Regni sedes; ubi fixam Herodes habebat Regiam, non fecus ac David, illiusque nepotes.

Illud vero, quod ad eam interpretationem honestandam obrudatur, indignum est, ut referatur a nobis: in id scilicet intendisse Davidem, dum ait Psal. 77. v. 67. *Repusit Tabernaculum Jo-*

seph, & Tribum Ephraim non elegit, sed elegit Tribum Juda montem Sion, quem dilexit. Quasi vero de Regni sede loquatur illic Regius Vates, quam in sola Tribu Iudæa, ac Ierosolymis fixam voluerit Deus: ac non potius de Arca fœderis, quam de Silo Ephraimiticæ Iosephi Tribus Civitate transferri voluit, ut in Templum Ierosolymitanum tandem aliquando inferretur, ibidemque custodiretur: juxta quod ibidem v. 60. dicitur, *Repusit Tabernaculum Silo, Tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus.* Quamquam etiam si de Regni sede, quam Ierosolymis fixam manere iussisset Deus, locutus esset Regius Vates, quid inde, quæso, colligeretur, id unum Iudæ filio promissæ Iacobum, non desuturam in ejus forte Regni sedem, a quibuslibet Tribubus occupandam?

III. Ea igitur eliminata sententia, quam primus omnium, si bene conjicio, Perrerus invenit, multisque subinde pigmentis obduxit Bonfrerius: eo difficultatem relictam video, num Iudæa nomine tota Iudæica gens, quæ ab ipso nomine accepit, an vero peculiaris Iudæ Tribus, intelligenda veniat in vaticinio Iacobæo?

Qua in re, ne diutius in limine hæream, iis me libenter assentiri profiteor, qui Iacobi morientis Oraculum, non de sola Iudæ Tribu, principibusque eo genere ortis intelligendum opinantur; quasi penes illos solos Iudæ sceprum, ad ortum usque Messie perpetuo steterit: sed de tota Iudæica gente, quæ ad Christum usque supremam in suos imperium ita tenuit, ut ex quibuslibet Tribubus Principes suos indiscriminatum haberit. Ita sane Ecclesiæ Patres communi pene calculo definiunt: ita Iudæicæ gentis historia profus evincit.

Verumenimvero antiqui pene omnes Ecclesiæ Patres, qui Iudæos argumento ex celebri Iacobi morientis propheta deducto exagitarunt, nempe S. Iustinus Martyr in dialogo cum Tryphone Iudæo: S. Athanasius lib. de Incarnatione Verbi Dei: S. Ioannes Chrysostomus homil. 67. in Genesim: Eusebius lib. 8. Demonstrationis Evangelicæ, & lib. 1. Historia Ecclesiastica Cap. 6. S. Ambrosius lib. de Benedictionibus Patriarcharum Cap. 4. S. Augustinus lib. 18. de Civitate Dei Cap. 45. S. Cyrillus Alexandrinus lib. 7. Glaphyrorum in Genesim: Theodoretus Quaestione pariter in Genesim 110. II. inquam, omnes Ecclesiæ Patres sceprum de Iudæa ad Christi Domini ortum propterea non desecisse asserunt, quod Iudæi usque ad Christi Natale, Principes ex gente sua, ex genere suo semper habuerint: non quod ad id usque temporis, penes unam Iudæ Tribum steterit suprema potestas. Oraculum igitur Iacobæum ad totam Iudæicam gentem, non ad unam Iudæ Tribum referendum existimant.

Id Iudæicæ gentis historia ex sacris litteris peccata multo luculentius evincit: quæ a pronuntiato celebri illo Oraculo ad Christum usque, multos Iudæicæ genti Principes, ac supremos Dominos præfuisse tradit, ex aliis a Iudæ Tribubus oriundos; ut plane sua huic Oraculo veritas nullo pacto constaret, si de sola Tribu Iudæa veniret intelligendum. Oraculum enim fudit Patriarcha Sanctissimus in Ægypto degens, atque extremis vitæ metis adnotus: porro ab ejus obitu ad Davidem usque non paucos Iudæicæ genti præfuisse liquet, qui Iudæ Tribus nequaquam essent. Ut enim totum Ægyptiacæ servitutis tempus omittamus, (quandoquidem sui tunc juris Hebræi non erant, sed Ægyptiis parebant Regibus) ubi primum soluta captivitate Ægyptiaca sui juris effecti sunt, cœperuntque a propriis gentis suæ Ducibus

cibus regi; Moysen primo, tum deinde Iosue principes habuere, non illos profecto de Tribu Iudæa; cum is de Tribu Levi, iste de Tribu Ephraim originem duceret. Iis fato sublatis, terraque promissionis ab Israelitis occupata, secuta est Iudicum dominatio. Fuerunt illi numero tredecim, qui trecentis, & amplius annis Iudæicum populum cum summa potestate rererunt. Ex iis autem duo dumtaxat ex Tribu Iudæa prognati fuerunt, Othoniel, & Abefan; cæteri ex quibuslibet aliis Tribubus oriundi. Iudicum principatu successit Regium imperium in Iudæicæ gentis regimine. Regum vero primus Saul fuit de Tribu Benjamin: huicque demum successit David, qui Regium sceprum in domum Iudæa, e qua ille ortus erat, primum intulit. Non itaque penes unam Iudæ Tribum Iudæicæ gentis stetit Imperium.

IV. Haud me fugit responsuros aliquos, Iacobæi Oraculi sensum esse, nusquam sceprum de Domo Iudæa desuturum, ex quo primum in illam inductum esset, non ex quo tempore Oraculum fufum est: atque idcirco non inquirendum, quoniam ante Davidem Iudæis præfuerint; numne illi omnes ex Tribu Iudæa originem duxerint: sed quinam Davidi successerint; num illi deinceps perpetua successione ad Christum usque, sceprum in Iudæ Tribu servarint. Verum præterquam ea exponendi vaticinii ratio, & violenta videtur, & Patribus ex diametro adversatur, necdum tamen eorum opinionem in turo ponit, qui Iudæ Tribui perenne sceprum post Davidis tempora concedit arbitrantur. Quamquam enim a Davide ad Ioachimum, seu Iechoniam, & Sedeciam usque, imperurbata nepotum serie, Iudæicum sceprum quingentorum circiter annorum spatio in Iudæ Tribu perennavit: extincto nihilominus Iechonia in Babilonica captivitate, sceprum ab ea domo recessisse, certissimum est. Id evincit in primis tremendum Ieremiæ Oraculum, in Iechoniam pronuntiatum, in ejus scelerum execrationem Cap. 22. v. 28. *Numquid vas fictile, atque contritum vir iste Iechonias? Numquid vas absque omni voluptate? Quare abjecti sunt, ipse & semen ejus, & projecti in terram, quam ignoraverunt, Terra, terra, terra, audi sermonem Domini: hec dicit Dominus, Scribe virum istum sterilem, virum, qui in diebus suis non proferabitur: nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultra in Iudæa.* Atque ita quidem probavit eventus: quamquam enim octo filios habuerit Iechonias, qui lib. 1. Paralip. Cap. 3. v. 17. recensentur, *Asir, Salathiel, Melchiram, Phadaia, Senneser, Jecemia, Sama, & Naddab;* nullum tamen illorum Regni successorem obtinuit. Quin & ipse Zorobabel nepos ejus, per Salathielem prognatus, populi quidem e captivitate reductus ductor fuit, nullum tamen habuit principatum, sed in Iesum Iosedech Levitam Tribulem translatus est. Sedecias vero Iechonia, seu Ioachimi patruus, quem Nabuchodonozor loco ejus ad solium evertit, nullos perinde habuit Regni hæredes, ac successores, Regumque Davidicæ familiæ postremus est habitus. Lib. II. Paralip. Cap. 36. v. 10.

V. Confirmat id totum multo magis, quantum suffugium intercludit omnino Iudæicæ gentis historia, ex qua principatum e Iudæ Tribu ad Leviticam translatum esse, perspicue liquet. Nota quippe, explorataque res est, Iudæorum Rempublicam, soluta captivitate Babilonica, quamdam Aristocraticam formam induisse, rerumque summam penes Summos Sacerdotes, (quandoque Ducis, ac Principis, quandoque etiam Regis titulum præferentes) extitisse per quingentos, & amplius

annos ad Herodem usque, quo regnante natus est Christus. Assamones enim, quos & subinde Machabæos vocitarunt, (ex quatuor initialibus litteris, *mem, capb, bebb, jod*, quas suis vexillis inscripserant, *Quis similis tui in fortibus Domine?*) penes quos suprema auctoritas erat, de Tribu Levi fuisse, certissime constat, ex lib. 1. Machabæorum Cap. 2. v. 1. Ubi Marathias Machabæorum pater dicitur *filius Joannis filii Simeonis Sacerdos ex filiis Joarib.* Et v. 54. ubi idem ille Marathias Machabæorum Pater se ex Phinee oriundum prædicat: *Phinees, inquit, pater noster zelando zelum Dei, accepit restitutum Sacerdotii æterni.* Phineem autem, ac tum Ioaribum Aaronis nepotes extitisse sacris altaribus destinatos, atque adeo ex Tribu Levi, nota res est ex libro Numerorum Cap. 25. v. 10. ubi legitur: *Dixit Dominus ad Moysen, Phinees filius Eleazari, filii Aaron Sacerdotis avertit iram meam a filiis Israel: quia zelo meo commotus est contra eos, ut non ipse delerem filios Israel in zelo meo. Ideo loquere ad eum, ego do ei partem fœderis mei; & erit tam ipsi, quam semini ejus pactum Sacerdotii sempiternum.* Et ex lib. II. Esdræ Cap. 11. ubi recensentur incolæ Ierosolymæ, & Civitatum Iudæa, post factam instaurationem: *In Ierosolyma habitasse dicuntur de Sacerdotibus, Idaja filius Joarib, & Jaclin, Saraja filius Helcia, filius Mosalam, filius Sadoc, filius Merajob, filius Achibob princeps domus Dei.*

Apertius etiam Sacerdotale Machabæorum genus contestatur idem ille liber 1. Machabæorum Cap. 13. v. 41. de Simone Machabæo rerum tunc summam tenente apud Iudæos, sermonem habens: *Anno centesimo septuagesimo ablatum est jugum gentium ab Israël: & cepit populus Israel scribere in tabulis, & gestis publicis, anno primo sub Simone Summo Sacerdote, magno Duce, & Principe Judæorum.* Ubi summum Sacerdotium cum summo principatu in Simone Machabæo conjunctum videmus. Pariter sequenti Cap. 14. v. 41. *Judæi, & Sacerdotes eorum consenserunt, eum esse Ducem suum, & Summum Sacerdotem in æternum, donec surgat Propheeta fidelis.* Demum Cap. ultimo v. 24. de Joanne præfati Simonis filio: *factus est, inquit, princeps Sacerdotum post patrem suum.* Quin etiam secutis inde temporibus Pontificalis dignitas cum Regis titulo juncta fuit. Aristobulus enim Ioannis Hircani filius, Pontificis & Principis appellatione minime contentus, Regis nomen & insignia sumpsit, quæ ejus subinde posterit tenuerunt; ut est apud Flavius Iosephum lib. 13. Antiquitatum Iudæicarum Cap. 19. & D. Augustinum lib. 18. de Civitate Dei Cap. 45. Quis porro neget, Sacerdotes nonnisi de Tribu Levi, nequaquam vero de Tribu Iudæa extitisse, Deo ita jubente Numerorum Cap. 16. v. 40. *Ne quis accedat Alienigena, & qui non est de semine Aaron ad offerendum incensum Domino?* Unde & signanter notat Apostolus ad Hebræos Cap. 7. v. 14. neminem ex Tribu Iudæa altaribus præstito fuisse, nisi Christum Sacerdotem simul, & Regem: *Manifestum est, quod ex Iudæa ortus sit Dominus noster: in qua Tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est.*

Quare me stupor ingens inessit, dum apud Baronium, virum alias numquam sine laudis præfatione nominandum, legerem in Apparatu ad Annales Ecclesiasticos, Machabæos paternum genus ad Iudam filium Iacob retulisse. Quod quam falsum sit, satis me arbitror demonstrasse: Genus quippe suum ad Levi certissime referabant. Purpuratum Historicum delatit versus 63. Capituli 5. libri 1. Machabæorum, ubi de Machabæis ita legitur: *Et viri Iudæa magnificati sunt valde in*

conspicui omnis Israel, & gentium omnium, ubi audiebatur nomen eorum: Hincque Machabæos de Tribu Iuda existisse commentus est: quod nempe viri Iuda vocitentur. Perperam sane: nam viri Iuda non significat viros de Tribu Iuda, sed viros Iudæ Machabæi fratres, ac focios, qui eo Duce gerebant prælia; de quibus sequenti versiculo subditur: *Et exiit Judas, & fratres ejus, & expugnabant filios Esau in terra, que ad Austrum est: & percussit Ebebron, & filios ejus, & muros ejus, & turres succendit igni in circuitu.* Eam cespitationem emendasset Baronius, si ad verum græcum vel leviter attendisset, ubi latine Verfonis æquivalentur tollitur; juda enim habet: *Kai i viri Iuda, qui iudæos sunt dicitur.* Hoc est, & vir Judas, & fratres ejus glorificati sunt valde &c. Quod ipsa quoque verho Syriaca luculenter expressit. Unde nihil ad genus Machabæorum e Iuda derivandum extrudiri potest; quos & Levitas, & de genere Sacerdotali fuisse, compertum est.

VI. Nonnulli nodum istum extricaturi, ut sceptrum etiam in Tribu Iuda Machabæorum tempore constituisse evincant, alteram purtidiorem fabulam comminiscuntur: Machabæos scilicet Sacerdotes principatum obtinentes, si minus paternum, at faltem materno genere ex Tribu Iuda existisse: eo ducti fundamento, quod utraque Tribus, & Levi, & Iuda mutuis matrimoniis quandoque junctæ fuerint: uti plane Aaron, & Iojadas Summi Pontifices filias Aminadabi, & Ioram, uxores duxisse leguntur, Exodi Cap. 6. & II. Paralip. Cap. 22. quod plane frivolum est. Quamquam enim duæ illæ Tribus Matrimonii jungi possent, incredibile profus est, eas quingentorum annorum spatio perpetuo junctas esse; Summosque Sacerdotes principatum tunc temporis obtinentes, nonnulli ex Tribu Iuda, numquam ex sua, aliisque Tribubus uxores sibi copulasse. Sed etsi id contigisse fingeremus, non illico profectio consequens esset, sceptrum in Tribu Iuda Machabæorum tempore constituisse: quia nulla apud Iudæos maternæ stirpis habetur ratio, juxta Thalmudicum dictum, *familia matris non vocatur familia.* Alioquin Christus ipse Gentilis etiam genere dici posset: cujus inter Atavos, gentiles quoque, seu alienigenæ femina numerantur: Rahab scilicet Chananea, ex qua Salmon Boozum Davidis proavum genuit; Ruthque Moabitica, ex qua subinde Boozus Obedum Davidis avum procreavit. Ac quemadmodum Sacerdotium in Tribu Iuda fuisse non dicimus, dum aliqui de Tribu Levi Sacerdotes uxoris de Tribu Iuda jungebantur: ita nec sceptrum in Tribu Iuda fuisse dicendum esset ætate Machabæorum; quamquam ipsi de Tribu Levi prognati, uxores de Tribu Iuda duxisse ponerentur. Quid etiam, quod eo constituto principio, consequens foret, sceptrum in Tribu Iuda, regnante Herode, substituisse: cum & ipse Mariannam haberet uxorem, regio Assamæorum genere ortam; atque adeo secundum illos, ex Tribu Iuda pari ratione prognatam.

Idcirco reponunt alii, ut eo se laqueo liberent, ea etiam ætate temporum, qua Levitici principes Machabæi rerum summa potiebatur, sceptrum penes Tribum Iuda quodam sensu constituisse; quia hæc ipsa Tribus Iuda Sacerdotes Machabæos in principes eligebat; servataque sceptri proprietate, usumfructum Leviticæ Tribui concedebat. Eo plane modo, quo Poloniæ sceptrum penes Polonos esse dicitur, quamquam ex aliis gentibus sapienter Reges habeant; modo Gallum, modo Germanum, nunc demum Saxonem: quia eos sibi Reges Poloni seligunt, sceptrique proprietate servata, usumfructum exteris in Regem electis largiuntur.

Bene id quidem, atque subtiliter excogitatum, nodoque solvendo percommodum; modo tamen duo hæc veritate nitentur: primum, Tribum Iuda sceptri Iudæi proprietatem ea ætate retinuisse: secundum, solam Tribum Iuda Leviticis viros in Principes elegerit. Ea quippe duo ad hujusce Responsi firmitatem desiderantur. Verum duo hæc a veritate procul abeunt. Primum quidem, quia sceptri proprietatem Iudæ Tribus amisit in Iechonia, ut ex laudato Ieremie Oraculo compertum est: *Scribe virum istum sterilem, virum, qui in diebus suis non prosperabitur: nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super Solum David, & potestatem habeat ultra in Juda.* Cap. 22. Secundum æque falsum est, solam Iudæ Tribum Levitas viros in principes elegerit. Quandoquidem Tribus omnes ad principis, seu Ducis electionem suffragabantur, si qua tunc forte fieret: tum ex veteri Iudæorum consuetudine, Exodi 18. v. 25. insinuat, qua electiones ad totius Reipublicæ regimen attinentes, ab universis Tribubus fieri solitum erat: tum maxime, quia ad Ionathæ, ac subinde ad Simonis electionem, populum omnem tunc temporis conspirasse, Scriptura discrete notat. De Ionathæ quidem lib. 1. Machabæorum Cap. 9. v. 28. *Congregati sunt omnes amici Judæ, & dixerunt Ionathæ: ex quo frater tuus Judas desponsus est, vir similis ei non est, qui exeat contra inimicos nostros, Bacchidem, & eos qui inimici sunt gentis nostræ. Nunc itaque te hodie elegimus esse pro eo nobis in principem, & Ducem ad bellandum bellum nostrum. Et suscepit Ionathas tempore illo principatum, & surrexit loco Judæ fratris sui.* De Simone autem Cap. 14. v. 35. *Vidit populus actum Simonis, & gloriam, quam cogitabat facere genti suæ: & posuerunt eum Ducem suum, & Principem Sacerdotum: Et rursum v. 46. Complacuit omni populo, statuere Simonem, & facere secundum verba ista. Et suscepit Simon, & placuit ei, ut Summo Sacerdotio fungeretur, & esset Dux, & Princeps gentis Iudæorum, & Sacerdotum, & præfesset omnibus.* Perperam ergo ab una Tribu Iuda principatum obtinuisse Machabæi dicuntur. Quid quod nec semper ex electione, secutis temporibus principes fierent; sed plerumque hæreditario veluti jure, Levitæ Assamoniæ principatum, quemadmodum & Summum Sacerdotium obtinerent; ut Patri filius, fratri frater succederet, nulla populi accedente suffragatione, sed exterorum principum patrocinio. Quod præsertim in Aristobulo, Alexandro Hircano, alteroque Aristobulo videre fuit: De quibus legendi veniunt Flavii Iosephus lib. 13. & 14. Antiquit. Iud. Strabo lib. 16. Dion. lib. 37. Itane vero iis in casibus Iudæ Tribus Sacerdotes in principes eligebat, servataque sceptri proprietate, usumfructum Tribui Leviticæ concedebat? Commentum igitur est inter omnia maximum, quod ab iis tam fidenter obruditur.

At quæres forte: quid fieri potuit, ut ea ætate temporum, tribus omnes ad Principum suorum atque Pontificum electionem suffragarentur? Cum aliæ in Iudæa non essent tribus, præter Iudam, & Benjamin partemque Levi aliquam; nempe decem reliquis olim a Rege Salmanasare in Mediam deportatis: lib. IV. Regum Cap. 17. Fieri inquam id potuit: quia non ita generalis fuit decem tribuum in Mediam deportatio, ut nullæ ex ipsis reliquæ in Israele permanserint. Hinc multa post id temporis, Simeonitarum præclare gesta narrantur, libri I. Paralip. Cap. 4. Hinc sacrum tributum Iosæ Regi solum legitur, a tribulibus Manassis, Simeonis, Ephraim, & Neptali, lib. II. Paralip. Cap. 34. Hinc & filii transmigrationis Babylonice, non soli tribus

Iu-

Judæ, Benjamin, & Levi fuisse dicuntur, sed omnium plane duodecim tribuum, atque ex omni populo Israel: lib. I. Efdra Capp. I. 2. 6. & 8. Ut fileam, deportatorem etiam in Mediam plurimos, Babylonem tandem, indeque Ierosolymam rediisse, statim atque datam ab Rege Persarum redeundi facultatem intellexere: Efdras enim, ut scribit Iosephus lib. 11. Antiq. Iudæic. Cap. 5. *advocata Iudæorum concione, qui apud Babylonem debebant, & perlecta (Cyri) epistola, ipsam quidem retinuit: exemplar vero ejus, in Mediam, ad omnes sue gentis homines transmisit. Qui cognita Regis erga Deum pietate, & erga Efdram benevolentia, omnes vehementer sunt letati: multi vero ex eis, assumptis suis facultatibus, Babylonem venerunt, cupientes reverti Ierosolymam.*

Age tamen, demus id totum, ut libet, ut lubet: a solis Iudæ tribulibus, supremum Principatum accepisse Levitas: necdum sua Oraculo Iacobæo stare veritas, si de sola Tribu Iuda veniret intelligendum. Nedum enim sceptri perennitatem Iudæ promissit Iacob proxime moriturus, sed & Duces de femore ejus perpetuo nascituros: cum tamen Machabæi de Iudæ peculiaris personæ femore prognati dici non possent; quantumcumque præcariam ab ea Tribu auctoritatem obtinuisse poneretur. Uti plane Poloni (quorum exemplum illis aridet) tenere quidem sceptrum dici possunt, dum usumfructum exteris, quos in Reges eligunt, largiuntur; at Reges de femore suo, hoc est, Polono sanguine ortos habere, dici non possunt.

VII. Unicum est, quod excitare scrupulum possit, adversus sententiam a nobis hæcenus vindicatum. Quod nimirum Iacob proxime moriturus singulis filiis benedixisse dicitur, *benedictionibus propriis*, Genesis Cap. 49. v. 28. Cum itaque Oraculum illud de scepro nusquam a Iuda auferendo, pronunciaverit ille, Iudæ ipsi benedictionem impartiens; ad solam Iudæ Tribum Oraculum illud spectare, videri potest: alias propria Iudæ benedictio non esset.

Verum nec id quidem incommodat. Varias quippe partes in Iudæ benedictione fecerere opus est: alias, quo illi uti peculiari Tribui propriae sunt, ut istæ v. 8. *Juda te laudabunt fratres tui, adorabunt te filii patris tui: Cavulus leonis Juda, ad prædam filii ascendisti: alias, quæ illi propria non sunt, sed ei tamen uti totam Iudæicam gentem representant sunt accomodate; ut est ista, quæ sceptri perennitatem Iudæico populo spondet, donec Christus advenerit. Non ergo propria benedictione caruit Tribus Iuda, sed ultra propriam, alteram etiam toti Iudæicæ genti communem accepit. Cur autem destinata toti Iudæicæ genti benedictio, Iudæ Tribui potius, quam alteri cuiquam destinata sit, ratio non una, sed multiplex in promptu est. I. Quia Messias, ad quem Iudæicum Sceptrum in spirituale transfmutatum transferendum erat, atque in æternum duraturum, ex ea Tribu oriturus erat: adeoque jus aliquod peculiare ad sceptrum habebat Tribus illa. 2. Quia diutius in ea Tribu, ac florentius, quam in reliquis servandum erat sceptrum, ac principatus. 3. Quia præcipua Regni Iudæici pars, ac ipsa Regni sedes Ierosolyma, in forte Tribus Iuda sita erat. Quamquam enim ad utramque Tribum, & Benjamin, & Iuda initio spectare visa sit Ierosolyma; solius tamen Iudæ Tribus secutis inde temporibus habita fuit; maxime vero pars illa Urbis Australior, quæ & *Sim*, & *David Civitas* vocabatur; Ut lib. II. Regum Cap. 5. v. 7. legere est. 4. Quia ex Tribu Iuda, utpote nobilitiori, universus Israeliticus populus Iu-*

dæorum nomen acceptus erat. Quid vero ex gentis dignitate magis erat, quam ut in ea, a qua nomen obtinuit, benedictionem quoque reciperet, quæ ad omnes communiter pertineret? 5. Quia primogenituræ partes Rubeno sublata, ob incestum cum Bela commissum, in Iudam quantum ad jura principatus translata fuerant. Congruum autem erat, ut totius Iudæicæ gentis benedictio primogenituræ jure potenter potius, quam cæteris nunciaretur. Quandoquidem totam unum ille gentem representabat.

VIII. At ecce, inquit aliquis, si sic est, si inquam, primogenituræ partes in Iudam quantum ad principatus jura translatae sunt, ut innuitur lib. I. Paralip. Cap. 5. v. 2. Si *major in Imperio*, qualis futurus erat Rubenus, factus est Iudas; igitur Iudæicum sceptrum singulare illius Tribus privilegium reputandum est, cæteris Tribubus nulla unquam occasione concessum a populo. Consecutionem ex posito principio male fluentem inficior. Alia quippe tunc erat, estque etiam hodie primogenitorum dominatio in fratribus, alia Principum, Regumve in subditos. Priorem obtinuerit Iudas in fratre Rubeni loco, bene est, non ambigimus: at posteriorem sibi, suisque filiis, ac nepotibus obtinuisse in totam Iudæicam gentem, signentur est, idque negamus.

Quidni quoque dicamus, Iudæicum sceptrum in spirituale commutandum, peculiarem Iudæ Tribus benedictionem existisse; quod illud Christus solus ex ea Tribu oriturus æternum possessurus esset. Quem tamen prophetæ sententiæ si lubet admittere, quod sequitur ita erit accipiendum; ut particula *donec*, non sceptri cessationem significet veniente Christo, sed continuationem. Quasi dixisset Patriarcha Sanctissimus: *Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, dum veniet, qui mittendus est: quia nempe veniens illud idem æternum possidebit.* Quæ ingeniosa Eruditorem explicatio est, a nonnullis temere suggillata; quasi Iacobæi Oraculi vim omnem enervet, nec quid inde ad fidendam Christi adventus epocham colligamus: qui quovis demum tempore fingatur venturus, Iudææ sceptrum in spirituale commutatam perinde tenebit. Quinimo Iacobæi Oraculi vim integram servat ingeniosa interpretatio, ac Iudæos perinde convincit. Si enim Iudææ sceptrum, nonnulli in spirituale commutatam, a Christo promissio æternum esse possidendum; ex tunc venisse Christum necesse est, ex quo ea sceptri commutatio facta est. Quandonam autem facta est commutatio, nisi dum desit esse temporale? Quandonam autem temporale desit esse, nisi dum temporaliter perit in Herode? Stat igitur data hic obiter explicatio; quamquam ea non est opus ad propositam difficultatem resolvendam.

IX. Superest altera longe gravior, ejusdem Iacobæi Oraculi occasione eliquanda: quo scilicet distincte tempore, quo casu sublatum fuerit a tota gente Iudæica sceptrum illud? Quamquam enim Christi Domini ætate sublatum esse universi Christiani consentiant; non ita tamen liquido constat, quo distincte anno, quæ occasione deserit. De hoc igitur in sequenti dicendum.

EXERCITATIO XVII.

Quo distincto tempore Judæ sceptrum exciderit, impletumque fuerit Jacobi morientis Vaticinium?

I. **J**udæ sceptrum Jesu nostri saculo delisse, multis contra Judæos evicimus, dum impletam Jacobi morientis prophetiam demonstravimus. Cæterum quo distincto anno, quæ occasione, ea Judæi Sceptri jactura contigerit, necdum expendimus; quod id vindicandæ contra Judæos Christianorum causæ minus necessarium videretur: factis officio nostro consultum arbitrari, si, semotis quæstionibus inter ipsos Christianos controversis, fidei caput adversus Hebræos stare in tuto. Jam ergo ad eam, quæ curiosi animi est, quæstionem eventillandam accedimus; ne quid desiderari a nobis possit, ad cumulatam suscepti argumenti elucidationem.

II. Tota ad genus Herodis magni, quo regnante natus est Christus, devolvitur difficultas: Judæus ne fuerit, non modo religione, quod nemo ambigit, verum etiam genere, atque profapia, quod aliqui non ita pridem affirmarunt, iique non heterodoxi dumtaxat, ut Julius Scaliger in Notis ad Eusebium lib. 2. & Isaacus Casaubonus in Exercitationibus contra Baronium, sed & viri summe Catholici, Tornellus in annalibus ad annum 4018. num. 7. & 8. Daniel Huetius Episcopus Suesionensis in Demonstratione Evangelica, propositione 9. & Claudius Frassenius in Scoto Academico in 3. Sententiarum. Si enim Judæus genere non fuit Herodes magnus Herodianiæ familie parens; consequens profecto est, Judæ sceptrum tunc primum fuisse ablatum, principisque de Judæa femore desisse, dum is Romanorum gratia Judææ genti Rex datus est, anno ante Christum Dominum trigesimo sexto. Si autem è contrario, ut religione, ita & genere Judæus extitit; illud quoque ex adverso consequens erit, Judæ sceptrum ad excidium usque Jerosolymitanum, ad annos post Christum in Cælo assumptum triginta septem, penes Judæi sanguinis principes subsistisse. Exincto siquidem Herode magno, filii ejus, atque nepotes Judæicum sceptrum, pari Romanorum gratia, ad id usque temporis tenuerunt; in varias quidem Tetrarchias divisum, servato tamen primæ, ac nobiliori Tetrarchiæ Regis titulo, retentaque vitæ, ac necis in suos subditos potestate. Quod ex Evangelio, & Actibus Apostolicis notum est. De Archelao enim Herodis magni filio legimus Matth. 2. eum extincti parentis loco in Judæa regnasse: *Audiens autem Joseph, quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, simul illo ire. Non absumpserit Herodem Antipam, alterum Herodis magni filium, qui Archelao patri in exilium amandato, atque e folio deturbato successit, post annos decem, Regis titulo cohonestatum legimus Marci 6. dimidiam etiam Regni partem puellæ saltatrici spontentem, & in Joannem Baptistam pro jure, & potestate gladii animadvertentem. Tum Herodem Agrippam majorem Herodis magni nepotem, qui Herodi Antipæ in exilium pariter acto succedaneus a Tiberio Cæsare datus est, Regio etiam titulo auctum legimus, Actorum Cap. 12. & in Jacobum Apostolum. Jure gladii usum: In diebus illis, apposuit Herodes Rex, ut affigeret quosdam de Ecclesia: occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio. Denum Herodem Agrippam minorem, prioris ab Angelo percussus, ac male perempti filium, Regio perinde nomine insignitum sæpius observamus, Cap. 25. & 26. Actuum Apostolicorum; ubi & Paulum Apostolum causam orantem ex tribunali audisse fertur, anno ante excidium*

Jerosolymitanum circiter decimo. Ex quibus omnibus perspicuum fit, Judæ sceptrum (si Judæus genere fuit Herodes magnus) penes principes Judæa sanguine ortos, ad excidium usque Jerosolymitanum perennasse.

III. Nec repugnat, quod passionis Dominicæ tempore, Pilato Judæis objicienti, *Regem vestrum crucifigam?* nefarii Deicidæ repofuerint, non habemus Regem, nisi Cæsarem, Joannis 19. v. 15. Eademque diceat, *accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum, subjunxerint illi, Nobis non licet interficere quemquam*, Joannis 18. v. 31. quasi nec Regem tunc, nec gladii jus haberent. Quomodo enim utroque tunc caruissent Judæi, dum Christi causa in capitali foro verteretur, cum illis præfesset Herodes Antipas; ille, inquam, ipse, quem Regem Marcus appellat Cap. 6. & in Joannem Baptistam jure gladii animadvertisse, scribit? Quod itaque nefarii Deicidæ succlamarent, non habemus Regem, nisi Cæsarem, assentatione, & adulatione factum est, ut Pilatum Cæsaris administrum demerentur, ut ab illo optatam mortis sententiam facilius extorquerent, si fe bonos Cæsaris palpones exhiberent. Maxime cum & ipsi Cæsares eo Regis nomine verius digni essent, a quibus Judæorum Reges pro utu pendebant, creabantur, absolventur. Quod etiam non licere sibi subjunxerint Deicidæ, *interficere quemquam*, occasione Solemnitatis Paschalis est dictum; quo tempore, per speciem religionis, illicitum sibi aiebant hypocrite, causarum capitalium judicium exercere, ferreque sententiam; quod alias jure gladii sibi licitum contendissent: uti observant D. Augustinus Tract. 114. in Joannem, S. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Joannem Cap. 6. S. Joannes Chrysostronus Homil. 82. in eundem, & Venerabilis Beda in Caput ejusdem 18. Nec verimile est, Pilatum Judæis dicturum fuisse, *accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum, nisi Cæsares jus vitæ, ac necis in recutitos, Judæorum principibus reliquissent: iis saltem in causis quæ Judaicam Religionem quoquo pacto contingerent. Unde Mulierem in adulterio depræhensam lapidare tentaverant, & Stephanum re ipsa lapidarunt, & Jacobum Joannis fratrem capite minuerunt. Neque id mirum videri debet; cum & in ipsa captivitate Babylonica, Judæi jus gladii in suos retinuerint, ubi de violata ipsorum lege quæstio verberatur. Quod mortis sententiam in Susannam illustrem fœminam, instantibus impudicis senibus primum lata, ac tum in illos ipsos senes a Daniele puero pronunciata, aperte demonstrat. Quamquam tamen in causis capitalibus, ad Judaicam Religionem nihil attinentibus, sed civilem Reipublicæ statum quomodolibet contingentibus, jus vitæ ac necis penes Romanos Præfides a Cæsaris datos, stetit non dubitaverim. Cujus profecto discriminis observatione dignissimi, elegans argumentum exstat in Actibus Apostolicis Cap. 18. Ubi cum Paulus coram Gallione Achajæ proconsule a Judæis de violata lege accusaretur; respondit ille, accepturum se illorum accusationem, si de gravi aliquo facinore, contra Romanorum leges admisso, puta de homicidio, latrocinio, seditione, aliove hujusmodi accusaretur: quia tamen de violata Moysis lege postulabatur, penes ipsos delicti hujusmodi judicium stare. Si esset iniquum aliquid, ait ille, aut facinus pessimum, o viri Judæi, recte vos sustinerem: si vero quæstiones sunt de verbo, & nominibus, & lege vestra, vos ipsi videritis, judex ego bonum nolo esse. Quibus tamen in casibus, Judices in Synagoga constituti, Romani Præfides assensu egebant, ad concilium vocandum, ferendamque capitis sententiam: ut ex Anani Pontificis factio liquet, a Josepho postero-*

rum memoriæ tradito, Lib. 18. Antiq. Judaicæ. Cap. 8. Junior Ananus, is quem nunc Summum Pontificatum accepisse diximus, audax erat & serox ingenio, secta saduceus, quod hominum genus apud Judæos in judicando est severissimum, ut ante docuimus. Talis igitur cum esset, tempus opportunum se natum ratus, mortuo Festo, Albina adhibente agente in itinere, Concilium Judicum advocat; statumque coram eo fratrem Jesu Christi Jacobum nomine, & una quosdam alios, reos impietatis peractas, lapidandos tradidit. Quod factum omnibus in ea civitate bonis, & legum studiosis vehementer displicuit: missisque ad Regem clam nunciis rogaverunt, mandaret Anano, ne quid tale posthac ageret: nam ne tunc quidem recte egisse. Quidam autem Albino venientem ab Alexandria occurrentes, docuerunt eum, non licuisse Anano, sine ipsius consensu advocare concilium. Horum verbis ille persuasus iracunde scripsit Pontifici, daturum sibi prænas minitans. Et Agrippa Rex eam ob causam, post tertium mensem, ablatum ab ea Pontificatum, Jesu Davinei filio concessit.

Hoc ergo, quod ante posuimus, tanquam certissimo, atque indubitato constituto, nempe, Judæ sceptrum ad excidium usque Jerosolymitanum penes Judæ principes fuisse, si Judæus genere fuit Herodes magnus; fin autem fuit allophylus, annis ante Christum triginta sex excidisse: illud ad propositæ controversiæ solutionem expendendum est: Judæus ne natalibus, & origine fuerit Herodes magnus, aut autem alienigena, & allophylus, Idumæus nimirum, aut etiam Ascalonita? Eo quippe capite tota jam volvitur difficultas. Quocirca Herodem minime Judæum, sed Judæorum comparatione alienigenam, & Allophylum dico: seu Ascalonita ille fuerit, ut aliquibus visum est; seu etiam Idumæus, ut aliis probatur magis: quæ tamen postrema solius nominis quæstio est.

IV. Priorem asserti partem Patrum omnium firmat assensus, quos inter ne quidem inventus est unus, qui Herodem non dixerit Alienigenam, eundemque Judæum natalibus, & origine non negaverit: etsi in ejus assignanda patria non omnino consentiant.

Julius Africanus, referente Eusebio lib. 1. Hist. Eccles. Cap. 6. Herodem, qui Salvatoris temporibus vixit, filium dicit Antipatri, Nepotem vero Herodis alterius Ascalonitæ, qui Apollinis Templo, quod Ascalone est, inserebat.

Iulianus Martyr in dialogo cum Triphone Judæo; Herodem, sub quo natus est Christus, Ascalonitam perinde vocat. Etsi per errorem in versione legimus passus est.

Origenes Homil. 17. in Genesim; Herodes Rex, inquit, secundum Historiam fidem, quam Josephus scribit, Alienigena fuit; & per ambitionem in Regnum Judæorum dicitur irrepisse.

Eusebius lib. 1. Hist. Eccles. Cap. 6. Herodes primus ex Alienigenis Regnum Judææ a Romanis adeptus est: cum, ut a Josepho traditum est, paterno genere Idumæus, materno Arabs esset.

S. Epiphanius Hæresi 20. Herodes Antipatri cujusdam Ascalonitæ, atque Apollinis Edisii filius fuit. Cujus insuper Antipatri parens Herodis nomine, filius fuit Antipæ.

Severus Sulpitius lib. 2. Historiæ Sacræ: Herodes Alienigena Antipatri Ascalonitæ filius Regnum Judææ a Senatu, & populo Romano petiit, accepitque. Hinc primum Judæi externum Regem habere cœperunt. Etenim jam adveniente Christo, necesse erat secundum vaticinium Prophetarum, jus eos Ducibus peritari, ne quid ultra Christum expectarent.

S. Hieronymus in Cap. 3. Osee: Postquam defecit princeps ex Juda, Cap. 3. Osee: Postquam defecit princeps ex Juda, & Dux de senioribus ejus, & Herodes Alienigena, & proselytus suscepit imperium. Serry Tom. III.

rium, intelligimus venisse eum, cui Regnum restitutum est: & ipse erit expectatio gentium.

S. Augustinus lib. 12. contra Faustum Cap. 47. Certissimis ipsorum quoque Judæorum historiis ostenditur, primum Alienigenam Regem fuisse in gente Judæorum, quo tempore Christus natus est. Et lib. 18. de Civitate Dei Cap. 45. Post paucos annos etiam Herodem alienigenam Regem habere meruerunt, quo regnante natus est Christus.

S. Ambrosius lib. de Benedictionibus Patriarcharum Cap. 4. Donec ille veniat, non deficiet Dux ex Juda; ut usque ad Christi ortum regalis successio- nis fides incorrupta servetur. Postea enim per Herodem adulterata successio prerogativam dignitatis amisit. Etenim quis verum Regem negaverunt, falsos habere cœperunt. Et lib. 3. in Lucam: Ex Grecorum historiis claret, Herodem nulli affinem genui Judæorum Regnum adulterina fraude quæstivisse.

Theodoretus in Daniele ad Cap. 9. Herode Alienigena regnante, qui paterno genere Ascalonites, materno Idumæus erat; & iis, qui Principes Sacerdotum vocabantur, non secundum legem unctis, sed ab Alienigenis Principibus (Herode, Archelao, & Romanis Ducibus) electis: deinde memorat excidium, quo & Civitas opprimenda erat, & hoc ipsum Alienigenarum Regnum evertendum, & Pontificatus maximus non legitimus auferendus. Et Dialogo 1. Undenam derivantur modo Judæorum Patriarchæ? Ex Herode alienigena, qui ex patre quidem, erat Ascalonites, ex matre autem Idumæus.

S. Cyrillus Alexandrinus lib. 7. Glaphyrorum in Genesim: Regnarunt Judæi, & ex sanguine Israelis fuerunt ipsi Duces, donec Herodes Antipatri filius, genera Palestinus, qui Tetrarcha cognominatus est, acquisivit sibi Regnum; sub quo: & ipse natus est Christus expectatio gentium. Palestinum porro Herodem dicit Cyrillus, quod Ascalon, unde illum ortum existimat, Palestina: civitas, esse.

S. Eucherius Lugdunensis lib. 3. Comment. in Genesim: Tandiu fuit ex semine Judæ apud Judæos intemerata successio Regni; donec Christus ad redemptionem Mundi ex Virgine nasceretur. Probant hoc Historiæ Judæorum, quibus ostenditur, primum alienigenam Regem in gente Judæorum fuisse Herodem, quo tempore natus est Christus.

Rupertus lib. 5. Comment. in Oseam: Transire, & cessare debuit Rex Israel eo maxime tempore, qualis erat Rex Herodes, qui neque de Juda, neque de illa esset Tribu Israel, quo tempore verus Rex Christus natus est. . . . Christum querebat ad perdendum Herodes ille alienigena Rex.

V. Quis, quæso, tot Ecclesiæ Patres in putidam de genere Herodis fabulam consentisse, facile credat? Ludicrum porro est quod Tornellus in Annalibus ad annum 4018. n. 7. reperire ausus est: Herodem Idumæum, aut Ascalonitam a Patriarchis dictum, titulo duntaxat educationis, ac diuturnæ commorationis illic factæ, aut etiam natalitatis & patriæ jure quæsto; quod in Idumæa aut Ascalone natus esset, & educatus; non itidem sanguine profapia, ipsaque generationis origine. In eum plane modum, quo Judæi genere & origine propemodum insinuit, Jerosolymis advena, quo tempore Spiritus Sanctus in Apostolos effusus est; Parthi, Medi, Elamitæ, Cretes, & Arabes vocitantur, in actibus Apostolicis Cap. 2. quod in iis forte regionibus nati essent, aut educati, solitamve illic mansionem facerent: ac ipse etiam Paulus, Hebræus utique ex Hebræis, ac de Tribus Benjamin, Tarsensis tamen est dictus, Actorum 9. v. 11. quod illic ipse nonnullique ex Majoribus ejus nati essent, ac etiam educati: imo se ipse Romanum dicit Cap. 22. feu quod patre civitate donato natus esset; feu quod Tarsus ipsa

eo jure a Romanis nobilitata fuisset. Id inquam ludicrum est, ac longe falsissimum. Laudati enim Patres ita Herodem, alii quidem Idumæum, alii Afcalonitam appellant, ut Iudæorum comparatione externum & alienigenam dicant: eundem de Iudæa Iudæorumque semoribus ortum insciantur, atque ita impletum in eo Jacobi morientis oraculum attestantur: *genere demum & sanguine Iudæum omnino negant*. Quæ certe Tornielli suffugium occupant, Patresque de Herodis sanguine, profapia, ipsaque generationis origine, quam ex alienis genibus duxerit, locutos evincunt. Iis prævit Flavius Iosephus, quo nemo melius Herodis genus nosse potuit, ac debuit. Is Antipatrum Herodis patrem Idumæum, atque ita Iudæorum comparatione allophyllum, seu alienigenam scribit lib. 14. Antiquit. Iud. Cap. 2. & Nicolaum Damascenum ut projectum adulatorem traducit, quod eundem Antipatrum Iudæum genere posuisset. *Amicus quidam Hyrcani Idumæus nomine Antipater, vir pecuniosus, natura sagax, & industrius, insensu erat Aristobulo, eo quod ipse studeret partibus Hyrcani. Quamvis Nicolaus Damascenus hujus genus deducat a primoribus Iudæorum, qui in Iudæam venerunt ex Babylonia: Sed hoc dicit in gratiam Herodis ejus filii, quem fortuna ad Iudæorum Regnum evertit.* Et Cap. 27. Antigonum inducit idem Iosephus Romanos culpantem, quod Iudæorum Regnum Herodi dedisset; cum id more gentis deberetur successioni generis. Id ergo pro certo ponit, eum Iudæum genere minime fuisse; sed ut maxime Semi-Iudæum, propterea quod Idumæi, ex quibus Herodi genus erat, ab Abrahamo quidem, non tamen per Iacob, sed per Esau descendissent. Quod ad præsens institutum nostrum satis est. Iacob enim Iudææ sceptrum, non penes quosvis Abrahamæ posteris, ad Messiam usque perennaturum portenderat; sed penes solos nepotes suos, ex Iudæ scilicet femore orituros; seu Iudæ nomine peculiarem hujus nominis Tribum intelligas; seu totam promiscue Iudæicam gentem, ex duodecim Jacobi filiis proditura accipere malis: cujus certe comparatione Idumæi ex Esau Jacobi fratre procreati allophyli erant, & alienigenæ; nullumque ad Sceptrum Iudæicum jus habebant.

Idem de Antipatro Herodis parente notat etiam Iosephus lib. 1. de Bello Iudæico Cap. 5. *Erat enim genere Idumæus, & nobilitate, ac opibus gentis sue Princeps*. Princeps, inquam, non imperio tamen, atque dominatione, sed opibus. Quam ob causam Herodem filium ejus plebeo genere natum dicit Cap. 28. libri 14. hoc est, privatum hominem, *subjectumque Regibus*, tamen potentem opibus apud suos. Id itaque certum, indubitatumque; Herodem magnum, quo regnante natus est Christus, Iudæum genere non fuisse, sed alienigenam, & allophyllum.

VI. Pars vero assertionis nostræ altera, quam solius questionem nominis esse diximus, Afcalonita ne fuerit, an Idumæus, unica annotatione patefit; qua omnis Iosephum inter, & Patres dissonantia tollitur. Idumæum equidem dicunt Iosephus, & Eusebius: Afcalonitam autem Iulius Africanus, Iustinus Martyr, Sulpitius, & Cyrillus. At hæc de facili conciliantur, si quid rei fuerit, observetur. Herodem scilicet Antipatri filium, quo regnante natus est Christus, a prima origine Afcalonitam fuisse, utpote alterius Herodis Afcalonitæ nepotem, qui Apollinis Templi, quod Afcalone erat, Ædituus fuerat, atque ita Gentilis. Utrumque tamen, & Antipatrum, & Herodem filium Idumæum fuisse dictum, quod ille a prima pueritia ab Idumæis latronibus captus, in Idumæa fuisset educatus, ibidemque ad virilem ætatem degens Herodem filium procrea-

rit. Indeque factum, ut Herodes, de quo nobis hic quæstio est, Idumæus a nativitate sit dictus, Afcalonita vero a prima avorum gentiliū origine. Observationem hanc, qua omnes Scripturæ de Herodis patria dissonantia conciliantur, debemus Iulio Africano apud Eusebium lib. 1. Historiæ Eccles. Cap. 6. S. Ambrosio lib. 3. Commentariorum in Lucam, S. Epiphano Hæresi 20. Postremi hæc verba sunt, cæterorum sensum referentia: *Herodes Antipatri cujusdam Afcalonitæ, atque Apollinis Æditui filius fuit. Cujus insuper Antipatri patris Herodes nomine filius Antipater fuit. Antipater ab Idumæis captus; & in Idumæa degens Herodem suscipit; qua in regione diu admodum in servitute vixit, quod cum Herodes pater ob inopiam redimere non posset. Tandem a popularibus collata pecunia una cum Herode filio liberatus, postliminio in patriam revertitur. Quam ob causam ab aliis Idumæus, ab aliis Afcalonita fuisse, proditus est.* Hæc Epiphanius: qui tamen hoc uno a Julio Africano, & Ambrosio diffidet; quod is Antipatrum Apollinis Ædituum dicat, illi Herodem Antipatri patrem. Nisi forte uterque eo munere fundus est: Herodes quidem pater, dum illi ab Idumæis latronibus surreptus est Antipater adhuc puer; tum postea Antipater ipse, dum grandior factus Afcalonem postliminio reversus est. Quo in munere, aliisque artibus eas subinde divitias comparavit, quibus eum valuisse Iosephus memorat.

VII. Nunc re tota bono in lumine posita, Herodisque Magi genere, quo regnante natus est Christus, certis documentis asserto; illi modo audiendi veniunt, qui eum, non religione modo (quod nemo unquam verit in dubium) sed & genere, atque profapia Iudæum existimant. Quintuplici momento Iudæicum Herodis genus evincere sibi putant. 1. Quod, orta Cæsareæ Iudæos inter, & Syros rixa gravissima, de Civitatis jure, Herodem Cæsareæ conditorem, Iudæum genere Judæi contenderint, nec insciantur sint Syri, uti refert Iosephus lib. 20. Antiquitatum Cap. 6. *Apud Cæsaream inter Iudæos habitatores, & Syros de pari jure Civitatis rixa exorta est. Nam Judæi potiore conditione volebant esse, quod urbis hujus conditor Herodes Rex fuerit Judæus genere. Id Syri insciantur quidem, sed aiebant, Urbem turrim Stratonis dictam a principio, quo tempore nullum Iudæum habitasse inibi.* 2. Quod Iudæorum non pauci Herodem tamquam Messiam coluerint, Herodiani propterea nuncupati, quorum scipius Sacrum meminit Evangelium. *Herodiani Christum Herodem esse dixerunt*, inquit Tertullianus aut alius quisvis est auctor pervetus supplementi ad librum de Præscriptionibus: cui hæc in parte subscribunt, S. Epiphanius Hæresi 20. & S. Hieronymus, in Dialogo contra Luciferianos. Incredibile autem est, illos Herodem pro Messia habituros fuisse, nisi Iudæum genere pro certo novissent. Cum nihil sacris in litteris expressus sit, quam Iudæum genere, ac etiam de Tribu Iudæ, imo & de stirpe Davidica Messiam exiturum. 3. Quod Herodem Iudæum genere dixerint Nicolaus Damascenus, (referente Iosepho lib. 14. Antiquit. Cap. 2.) & Strabo lib. 16. Historiarum. 4. Quod Iudæos contribules suos vocare solitus esset Herodes, dum ad illos pro concione diceret, ut apud Iosephum legere est lib. 15. Cap. 14. Qui etiam priorem illius uxorem Ierolimitanam nomine Dorem, Herodis popularem, quasi illius concivem appellat lib. 14. Cap. 21. *Duxerat autem etiam ante uxorem e suis popularibus, Dorem nomine; ex qua suscepit Antipatrum filiorum natum maximum.* 5. Quod multa Herodes præclare gesserit, quæ virum genere Iudæum arguant, non Idumæum, aut quavis alia ratione alienigenam.

Nihil

Nihil tamen ista nos movent, ut a statuta sententia resiliamus. Quid enim si in contentiosa disputatione, ubi de jure Civitatis agebatur, Herodem Iudæum genere obiter dixerint Judæi Cæsarienses, nec repugnaverint Syri, cum de Herodis genere quæstio ipsa non esset; ac tantumdem ad tuenda Iudæorum jura valuisset, si Herodem Cæsareæ conditorem religione Iudæum, ut revera erat, simpliciter nuncupasset? Maxime quia Iosephus ipse, qui Iudæos Cæsarienses ita locutos memorat, istdem ora verberat, aliis Historiæ suæ locis, ubi Herodem Iudæum genere distictissime negat.

Quid etiam illud alterum miremur; Herodianos, vilissimam odiosissimamque Iudæorum sectam, Herodem pro Messia coluisse; tamen Iudæum genere non esse, sed religione dumtaxat? Quandoquidem Iosephus ipse, vir aliunde bonus, & simplicis veritatis amicus, Vespasianum Imperatorem habuit pro Messia, eidemque Prophetarum oracula, quæ de Christo erant, seu assentione, seu ex animi sententia accommodavit, lib. 4. de Bello Iudæico Cap. 12. (quamquam Vespasianus nec genere, nec religione Iudæus esset;) ob id solum, quod is apud Iudæam creatus fuisset Imperator. Tantum improba cæcitas Iudæorum animos occupaverat, ac dementaverat! Imo facile crediderim ego, Herodianos idcirco Herodem tamquam Messiam coluisse, quod in eo impletum Jacobi morientis oraculum cererent, atque ita allophyllum, & alienigenam probe nosset Iudææ sceptrum obtinente: sed in eo illos errasse, quod principem alienigenam Iudææ sceptrum Christo nascente occupaturum, de quo prophetaverat Iacob, Christum ipsum fore, stultissime crederent. Quare tantum abest, ut ex illorum errore aliquid ad Iudæicum Herodis genus probandum extundi possit, ut potius illum alienigenam fuisse luculentius evincat.

Non est tamen dissimulandum hoc loco, non liquere omnino, Herodianos, de quibus sæpe mentio fit in Evangelio, peculiarem inter Iudæos sectam confasse, cui peculiare esset, Herodem ut Messiam agnoscere. Non desunt enim qui Herodianos ipsos Herodis milites interpretentur. Imo D. Hieronymus, qui laudato jam Dialogo contra Luciferianos diserte testatur, *Herodianos Herodem Regem suscepisse pro Christo*; sui tamen velut oblitus, parumque secum consentiens, in Commentariis in Caput 22. Matthæi, Herodianos Herodis milites exponit, a Phariseis eo nomine dictos, atque irrisos, quod Herodis nomine atque auctoritate, solvenda Romanis tributa colligerent, divino cultui minime dediti. Tum subinde addit sanctissimus Doctor: *Quidam latiorum videlicet Herodianos putant, qui Herodem Christum esse credebant: quod nusquam omnino legitur.*

Herodis genus a primatibus quidem Iudæorum, qui ex Babylonia in Iudæam venerant, deducit Nicolaus Damascenus: at id assentione factum monet hoc ipso in loco Flavius Iosephus, ne quam projecto adulatori fidem demus. Non ita tamen Strabo loco objici solito; ubi Herodem Iudæorum indigenam dumtaxat vocat: hoc est, eo loco natum, quem Iudæi, si minus genere, at certe religione facti, tunc temporis incolebant. Idumæi enim, quos inter natus erat Herodes, annis in antecessum circiter sexaginta, ab Hircano Iudæorum Rege, atque Pontifice subjugati, Iudæi religione effecti erant, teste Iosepho lib. 13. Antiquit. Cap. 17. relictoque proprio gentis suæ Deo, & antiquatis prioris Idololatricæ ritibus, circumcissionem universumque Moysis ritum admiserant. Hinc Iudæorum indigena Herodes est dictus; hoc est, loco illo natus, quem Iudæi, qualescumque tandem essent, multos jam annos incolerant.

Serry Tom. III.

Hæc ipsa de causa, Iudæos contribules suos appellare solebat Herodes jure summo; quod profelytus esset, illorumque sacris initiatus; atque ita Mosaicæ religionis professione in Iudæicum nomen, & populum insitus esset. Non ideo tamen Iudæus genere, profapia, sanguine censetur; atque adeo nullum ad Iudæicum sceptrum, quod hic maxime quæritur, jus habebat, quod non religioni soli, sed sed sanguini debeatur: ab iis scilicet principibus possidendum, qui de Iudæ femore orti essent.

Neque refert, quod Idumæi Iudæorum fratres interdum vocentur sacris in litteris, ut Deuteronomii Cap. 23. v. 7. *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est*. Laxioris quippe significationis appellatio illa est: quod nempe ex Abrahamo, & Isaac per lineam Esau descendenter Idumæi. Quia tamen per lineam Iacob prognati non erant, ex quo uno per duodecim Patriarchas Tribules, seu Tribuum capita, prodit Iudæicum genus, veri strictique nominis fratres Iudæorum minime censentur; sed Alienigenæ potius, & extranei, juxta Davidis oraculum, quo futura Idumæorum ad Christum conversio prænunciabatur, *In Idumæam extendam calcamentum meum, mihi alienigenæ amici facti sunt*. Plal. 107.

De Dore Ierolimytana priori Herodis conjugæ, expedita responso est: mero nominis æquivoco ludere eos, qui eam Herodis popularem, hoc est, concivem, & conterraneam a Iosepho dictam existunt: quæ alio longe sensu popularis est dicta, plebeja nimirum, atque ignobilis. Sic enim juxta grecum Iosephi contextum castiganda est latina Versio in objectione laudata: *Duxerat quidem priorem etiam popularem nomine Dorin, ex gente, subintellige, nostra. Ιουδαία δούρα, Δορίνη, ἡ τῆς ἐθνῆς. Quod cum Iosephus hebræus scribat, eam ignobilem fuisse significat, ex gente Iudæica, non Herodis Idumæi concivem, & popularem.*

Quæ demum Herodis præclare gesta a Iosepho referuntur, quibus suum in Iudæos, Iudæorumque sacra propensum ac libegalem animum palam ostendit; ea quidem Herodem Religione Iudæum evincunt, quod nemo inficiatus est unquam, non itidem genere, profapia, primisque natalibus. Ex quo enim Herodem, suscepta Circumcisione, Mosaicæ sacra professum novimus, (quod jam ab Hircani temporibus fecerant Idumæi) facile intelligimus, potuisse illum ex solo Religionis studio, Ierolimytanum Templum ornare, amplificare, novisque porticibus augere, aut si lubet novum a fundamentis magnificentius extruere: capta Romanorum auxilio Ierolimytana, milites ab ingressu Templi interioris procul arcere: ab Agrippa Romanorum duce summis precibus impetrare, ut Judæi Iconiæ urbes incolentes, propriis legibus ritibusque viverent, nullamque ab indigenis molestiam paterentur: imo etiam potuisse illum, Hircani summi Pontificis nepem, nomine Mariannem, illo ipso consentiente, conjugio sibi copulare; quin propterea Iudæus genere haberi debeat. Judæi quippe a primis etiam temporibus, filias suas Alienigenis nuptui tradere minime detrectabant, ubi semel suscepta Circumcisione, ipsorum sacra professi fuissent. Genesis Cap. 34. v. 15. *Si volueritis esse similes nostri, dixerit filii Jacob ad Sichimitas, & circumcidatur in vobis omne masculini sexus: tunc dabimus & accipiemus multos filias vestras, & nostras; & habitabimus vobiscum, erimusque unus populus.*

VIII. Nodus superest exsolvendus, qui ex hac tota de genere Herodis disputatione relinquitur: quonam scilicet pacto, quate ratione in eo impletum fuerit Iacobæum vaticinium? Ea squidem verba, *Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux*

H 2 de

de femore ejus donec veniat, qui mittendus est, postulare videntur, ut prius ille venerit, qui mittendus erat, quam sceptrum re ipsa auferretur a Iuda: ut si dicam, non tradetur Civitas, donec obsidione cingatur; prius eam obsidione cingi necesse est, quam tradatur; non tradenda prius est, ac subinde cingenda. Porro si Herodes Alienigena est, Regnum Iudææ tunc primum excidit, dum ei a Romanis collatum fuit, prius certe Iudææ sceptrum ablatum est, quam Christus advenerit; cum annis ante Christum natum triginta sex, Iudæorum Rex fuerit salutatus.

De facili tamen solvitur nodus: Quod in magnis eventis, quæ procul admodum, & quam longissime pervidentur, ac prænunciantur, hujusmodi particula ad notationem temporis positæ, præcimum distinctumque tempus non designant, sed indistinctum, ac diutinum, Ut si de Antichristo loquar, non incongrue dicam: non suscitabitur Antichristus, donec Mundi finis advenerit. Quo tamen non significabo, Mundi finem prius obventurum, quam suscitetur Antichristus; sed eo circiter tempore Antichristum suscitandum, quo Mundi fi-



nis adveniet. Hujusmodi igitur est Iacobæi vaticinii sensus, Non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat, qui mittendus est. Hoc est, ad ea circiter tempora Sceptrum auferetur a Iuda, quibus Christus adveniet: quocumque tandem id modo contigerit, pro varia eruditorum opinione; ut peræque particula donec ad tantillum tempus anterus, aut etiam ad posterius extendatur. Eum sacri Oraculi sensum esse, eamque particula donec significationem, & potestatem, fateantur necesse est ii quoque, qui aliter quam nos de Herodis genere sentiant. Nemo enim ablatum de Iuda sceptrum posuit, eo ipso distincto tempore, quo natus est Christus. Ac sicuti nos ablatum dicimus, annis ante Christum triginta sex, dum Herodes Alienigena Regnum inivit: ita illi annis a Christo nato circiter septuaginta ablatum ajunt, cum demum eversa Ierosolyma Herodianorum dominatio finem habuit.

Atque hic finis esto instituta contra Iudæos de Christo promisso, polemicæ Disputationis: Nunc de Christo nobis oborto disputandum.

EXERCITATIONUM DE CHRISTO, EJUSQUE VIRGINE MATRE PARS SECUNDA:

In qua peractæ Redemptionis humanæ Mysteria
omnia, ad certam historię fidem exiguntur,
explicantur, defenduntur.

EXERCITATIO XVIII.

De Virginis ortu, deque prima illius educatione, & oblatione in Templo facta.

I.



Christo dudum prænunciato, jamque proxime orituro, Matrem eo dignam feligere necesse fuit. Nulla dignior a Deo inventa est, quam quæ gratiam apud Deum invenerat. Virginem illam fuisse, Nazareth commorantem, Mariam nomine, Josepho viro iusto desponsatam, scribit Lucas Cap. I. Evangelii, ac nihil ultra præterea. Verum quam parce, quam modice de Virginis Deum hominem parituræ natalibus, educatione, vitæque ratione, & instituto Sacer. Textus; tam fuscæ, copiosæque dixerunt alii: quod de dolendum magis, nullo rerum delectu habito, ac ne veri quidem servata specie; sed magno nugarum, ac fabularum apparatu, vix digno lucubrationibus anicularum.

Feruntur hoc de argumento, ac summo eruditorum assensu ad quisquillas amandantur, liber nescio quis Traditionum Iudæicarum, a D. Epiphonio identidem memoratus, Hæresi 78. & 79. Proto-Evangelium Iacobo Apostolo stolidè adscriptum in Orthodoxographia: liber de ortu Virginis, a nonnullis Iacobo fratri Domini, ab aliis S. Cyrillo Alexandrino inique suppositus: liber alter de ortu Virginis, ab impostore Saleuco, Divo Matthæo affictus: Historia incerti Auctoris, a Divo Gregorio Nysseno indigitata, Oratione de Christi Natali: Opusculum de Nativitate S. Mariæ, inter Apocrypha S. Hieronymi rejectum, ad calcem Tomi 9. Spuria S. Evodii D. Petri in Antiochena Sede Successoris Epistola: Eustathii Antiocheni Commentarius apocryphus in Exameron; Tragedia de Christo patiente, ab Hæresiarcha Apollinari S. Gregorio Nazianzeno supposita.

II. Ex impuris illis lacunis biberunt pleno pectore Græci Scriptores, mediæ ac posterioris ætatis; colligendis fabellis pro more gentis avidissimi, iidemque amplificandis studiosissimi: Germanus Constantinopolitanus, Ioannes Damascenus, Andreas Cretenfis, Isidorus Thessalonicensis, Georgius Nicomedienfis, Cedrenus, Nicephorus Callixtus: quos postremis etiam temporibus Latini non pauci inconsulta pietate sunt imitari; ne & ipsi in extollenda, ut putabant, Virgine Deiparæ, Græcis concedere viderentur. Cum tamen

non egeat illa falsis honoribus, veris sat multis nobilitata.

Horum omnium de Virginis ortu, deque prima illius educatione, summaria Narratio hæc est, ex citatis apocryphis monumentis excerpta, ac delibata: Virginem Christum Dominum parituram, piis parentibus Ioachimo, & Anna in lucem tandem editam esse; cum illi ad extremam ætatem effecit, atque steriles pervenissent. Puellam depulsa prodigio parentum sterilitate procreatam, anno ætatis suæ tertio, quod ita illi ante voluissent, in Templo fuisse oblatam: Virginitatis voto jam tum ab ipsamet nuncupato Deo sacram, dicatamque: Levitis, ac Sacerdotibus traditam in disciplinam, per annos undecim commorantem in Templo, ac in ipsis Sanctis Sanctorum, toto illo tempore Cœlesti pabulo innutritam; donec annum ætatis suæ quartumdecimum affecta, Iosepho viro iusto, virgæ efflorescentis indicio designato, ab ipsis Sacerdotibus nupti traderet, ejusdem Virginitatem custodituro, non violaturo. Sic illi concordî relatione, ac narratione, quæ deinceps per omnium ferme ora volitavit. Quibus & hoc addunt receptiores nonnulli: Agabum nescio quem spe sua decollatum, quod Mariam optatam sibi uxorem adungere nequivisset, fracto objectoque præ indignatione baculo, Carmelitarum cucullum induisse.

III. Quid nos vero in hac tanta caligine temporum, nullius certis, atque indubitatis præcæ memoriæ affulgentibus documentis? Nempe id unum pronunciamus: Excepto Virginitatis voto, quod tenera adhuc ætate a Deipara nuncupatum fuisse, suo loco demonstrabimus; cætera quæ vulgo jaclantur, de piis Deiparæ genitoribus, Ioachimo & Anna depulsa divinitus sterilitate, Mariam efficta ætate generantibus: quæ de Maria ipsa trienni Deo oblata, Sacerdotibusque, ac Levitis in disciplinam tradita: quæ de ejusdem in Sanctis Sanctorum per annos undecim commoratione, donec Iosepho virgæ efflorescentis prodigio designato desponderetur; incerta omnino sunt, ac plane dubia, imo nonnulla falsissima, ac dicam erronea.

Ecquid enim certi, atque indubitati ex spuris, atque apocryphis instrumentis paulo ante notatis erui potest; quæ licet vera fortasse aliqua falsis multis admisceant, nunquam tamen in re historica integram fidem faciunt. Hujus porro furfuris sunt, quæ prima omnium in eorum narrationum probationem instrumenta proferuntur: conficta nimirum ab impostoribus, Apostolis, ac priscis Patribus supposita scripta, apocrypha documenta.